DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

ANEURISMATE.

DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS,

DE

ANEURISMATE;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI *SENATUS ACADEMICI* CONSENSU, ET

NOBILISSIMÆ *FACULTATIS MEDICÆ* DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

EDVARDUS TOWNSEND,

HIBERNUS,

SOCIET. REG. MED. EDIN. SOC.

CALENDIS AUGUSTI, HORA LOCOQUE SOLITIS.

EDINBURGI:

EXCUDEBAT P. NEILL.

MDCCCXXII.

AMICO SUO

CAROLO H. ORPEN, M. D.

COLLEG. REG. CHIRURG. HIB. SOCIO,

HASCE STUDIORUM PRIMITIAS,

EXIGUUM OBSERVANTIÆ MONUMENTUM,

GRATUS

CONSECRAT

AUCTOR.

VIRO SPECTATISSIMO

GULIELMO CRAWFORD JUN.

ARMIGERO,

DE *FERNEY*, IN CORKAGIÆ COMITATU,

HOCCE TENTAMEN,

ANIMO

BENEFICIORUM QUÆ CONTULIT PLURIMORUM

MEMORI,

SINCERÆ AMICITIÆ TESTIMONIUM,

D. D. D.QUE

AUCTOR.

DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE
ANEURISMATE.

Auctore Edwardo Townsend.

PROŒMIUM.

Variæ, ex quibus corpus humanum constat, fabricæ, singulæ, quibusdam morbis sunt obnoxiæ; tela enim cellulosa alio mali genere occupatur, et partes glandulosæ, tendinosæ, osseæ, singulæ suis vitiis infestantur. Harum autem partium nulla morbo opportunior est, quam arteriarum fabrica, quæ, vitio affecta, morbum affert,

quo non alius tristior homines vexat. Morbus, de quo refero, Aneurisma est. Aneurisma tali modo definire licet; tumor qui pulsat, ab arteria dilatata, rupta, aut vulnerata ortus, quique sanguine vel fluido vel coagulato refertus est. Creatur autem morbus, ubi aut arteriæ tunicæ cunctæ dilatantur, aut exterior tantummodo, interioribus tunicis ante ruptis. Variæ prolatæ sunt opiniones, de modo quo Aneurisma oritur; at duæ hodie medicorum studia sibi trahunt: opinionem alteram Scarpa edidit, qui sentit morbum, ruptis tunicis arteriæ, semper afferri; alteram Hodgson, et plerique celebres chirurgi, tum in nostris regionibus tum in reliqua Europa tenent; quæ suadet malum, vasis alicujus tunicis delatatis, non secus ac ruptis, concitari.

DE MODO QUO ORITUR ANEURISMA.

Plerumque oritur Aneurisma ex tunica interna eaque, quæ media est, ruptis, sanguine ex eo in tunicam cellulosam, quæ externa est, effusa. Quoties interna et media tunicæ ruptæ fuerint,

sacculus primo ex tunica cellulosa, quæ vas obtegit extrinsecus, formatur. Professor celeberrimus SCARPA negat arteriæ esse tunicam cellulosam propriam, affirmatque telam cellulosam forte in arteriam porrigi pariter ac in partes ei vicinas. Ex experimentis tamen de industria institutis, patet eam telam arteriæ justam tunicam esse. Hæc autem brevi cedit, et vasis invicem vagina, deinceps partes quæ circa sunt, cujuscunque sunt fabricæ, in sacculum palatim vertuntur. Inflammatio, quam morbus movet, et partium vicinarum distentio efficiunt, ut lympha effundatur, qua partes agglutinantur et sanguis ne feratur, prohibetur. Hoc modo morbus plerumque advenit; haud raro tamen, cunctis vasis tunicis dilatatis, accidit. Hujusmodi dilatatio sæpe ad aortæ arcum incidit. SCARPA aliter sentit, credens malum nunquam a dilatatione nasci, et ex his, quæ sequuntur, argumentis, opinionem suam colligit. Primo, tumorem Aneurismaticum nunquam totum vasis ambitum includere, sed partem tantum exiguam ab aliquo ejus arteriæ latere cum qua committitur; sacculum, qua arteriæ connectitur, quasi constringi et ultra hunc locum magis mi-

nusve ampliari, quod non ita esse potuit, si sacculus aneurismatis a tunicarum vasis distentione æquali provenisset. Deinde morbum plerumque accidere in vase, cujus tunicæ in steatomata degeneratæ sunt, ex quo fragile fit, et dilatationis impatiens, quam ob causam sanguinis impetui cedit, quod accidere non potuerit, si sanæ ex toto tunicæ fuissent; denique, corpora mortuorum inspiciendo, se semper tunicas arteriæ ruptas reperisse. Ex his, porro, primo perpetuum esse judicat, morbum ruptis propriis vasis tunicis proficisci; deinde sacculum Aneurismatis nunquam, ampliatis propriis vasis tunicis, formari, sed ex tela cellulosa constare, quæ in arteriam, non secus atque in alias ei vicinas partes, tendit, vaginamque quasi efficit quam obtegit pleura in thorace, peritonæum in abdomine. Tum, siquando ea aortæ pars, quæ supra cor est, præter solitum ampliata esse videtur, hanc ampliationem non totius vasis communem esse, et hanc aortæ conditionem prope cordi non pro justo Aneurismate, habendam esse. Porro, nulla signa esse, qualia medici Aneurisma testari credant, quæ non Aneurismati a vase rupto creato eveniunt, ne circum-

scripta quidem tumoris figura excepta. Postremo, divisionem Aneurismatum in vera et falsa quam Academici insequuntur, a ficta ratione natam esse, quoniam ei animadversio ostendit unum tantummodo morbi genus, id nimirum, quod, vasis propriæ tunicæ ruptæ, sanguine in telam, quæ vas circumdat, cellulosam effuso, creant.

Nemo est qui neget Aneurismata sæpissime modo, quem exposuit SCARPA *, afferri, at ex exemplis a celeberrimo HODGSON aliisque multis perspectis nil dubium est ea quoque a dilatatione sola oriri. Ille chirurgus, ex plurium cadaverum inspectione hæc affert: Primo, Aneurismata orta esse, corrupta interna tunica eaque, quæ media est, externæ tunicæ ampliatione, qua tandem vi victa, partes quæ circa sunt, sacculum efficere; deinde, dilatationem initium capere ab arteriæ ambitus parte ampliata, quæ ampliatio usque augetur, dum vasis tunicæ succumbant; et eæ sunt opiniones quæ hodie sibi potissimum medicorum attentionem vindicant. Ex

* Vide SCARPA "On Aneurism," ad p. 113.

eo quod ipse vidi, quod ad Aneurismata attinet, opinioni clari HODGSON accedere volo, qui arbitratur, ea aut a tunicarum vasis dilatatione aut a tunicis ejus ruptis oriri posse.

DE INDICIIS.

HUJUS morbi initium raro a laborante perspicitur. Indicium, quod primum sese ostendit, prætersolita in aliqua corporis parte pulsatio est. Scrutanti tumor, qui pulsat, in conspectum datur, qui sub manu premente evanescit, sed protinus, ea remotâ, revertitur. Nullus dolor est, nec plerumque ulla cutis coloris mutatio conspicitur; pulsationes validæ sunt, præsertim ubi tumor adhuc exiguus est, sed, tumore increscente, hæ imminuuntur; quod alii huic, alii illi causæ attribuunt, aut quia tunicæ vim resiliendi perdunt et indurescunt, aut quia tumor paulatim coagulis impletus est. Increscente tumore, dolor urget, et tumor pressione efficit, ut vicinæ partes absorbeantur; membrum quoque œdemate laborat, et pulsatio obscura fit. Cum jam usque eo increvit,

ut partes non cedant, tumor rumpitur, ubi ad id ventum est, ut se rupturus sit, nigro purpureum colorem exhibet, et sicut abscessus in fastigium elevatum est, et pressus sensum humoris fluctuantis præstat. Præcedente tempore crusta formatur, qua exuta, sanguinis profluvium mortiferum incidit. Quando aortæ arcus Aneurismate implicetur, insequentibus indiciis scire licet: pulsatio valida est, pectus laborat, spiritus cum dolore difficilis est, oculus gliscit et suffusus est, crura tument, palpitatio, quæ ambulationem præsertim in acclivo prohibet, pulsus intermittuntur sæpenumero uno tantum carpo percipiendi, fili quoque sensum dant.

DE DIAGNOSI.

Proximum est ut de notis, quibus hunc morbum ab aliis internoscere licet, dicam. Aortæ Aneurisma palpitationis nervosæ, quæ hystericis familiaris est, speciem fallere potest; sed in priore malo palpitatio latius sentitur, in posteriori intra spatium magis angustum est, et indicia subinde

intermittuntur. Hoc genus Aneurismatis palpitationem a prava concoctione ortam refert. In hoc autem affectus latius occupat, nec tumor adest, et malum remediis cedit. Aneurisma, porro, tumori, aut abscessui similis est, quales juxta aliquam arteriam siti pulsationes habere videntur. Via maxime commoda alterum ab altero malo internoscendi, ponitur in premendo a parte tumoris, quæ cordi proprior est; si tumor ab Aneurismate est, flaccidus fit; si tumor ipse premetur, adhuc magis imminuetur, dein, pressione submota, in pristinam molem assurgit.

Si tumor pulsat tantummodo ex subjacente arteria, ubi arteria premitur, pulsatio nulla est, at, tumore ipso presso, nihil efficitur, ita ut æque durus tensusque, atque antea restet.

DE CAUSIS.

Hujus morbi causæ, alterutro ex duobus modis, effectum præstant; sive vasis parietes infirmant, sive vim sanguinis cursus intendunt. In arteriis magnis, ad hoc malum proclivitas est ob

ea, quod primo earum parietes tenuiores sunt, quam pro magnitudinis et sanguinis copia, quam continent, parte rata; deinde quod sanguis magno impetu in eas propellitur, arteriæ quoque figura et situs sæpe in causa vitii sunt; sic aortæ maxime arcus et magna artus inferioris arteria potissimum in poplite malo opportuna est: ex sexu, quantum ad hunc attinet morbum, plurimum pendet; fœminæ enim raro eo implicantur: ætatem provectam item inter causas recensere oportet.

Ex omnibus vero causis, quæ ad morbum conferunt, maxime frequens est aucta ex steatomate crassitudo, cum ulceratione tunicæ arteriæ internæ: item depositiones calcareæ inter tunicam interiorem, et eam, quæ media est, vi resiliendi, ut quidam arbitrantur, amissa in parte affecta, vase fissu et ruptu proclivi facto. Quidquid præterea sanguinis impetum intendit, pro causa morbi esse potest; veluti potio liquoris validi frequens, hydrargyri usus diuturnus, nisus ingentes. Et hæ sunt præcipuæ causæ, quibus morbus, de quo agitur, fere affertur; sed haud raro nulla causa aperta oritur.

DE PROGNOSI.

In hoc morbo prognosis a multis pendet rebus; periculum vero ingens plerumque subest, morbus adeo raro sponte decedit, et curatio manu adeo in dubio est, ut de exitu nunquam non magnopere metuendum sit. Ad ætatem corporis, constitutionem et valetudinem laborantis, spectandum est; quo junior enim est, et quo meliori valetudine utatur, eo major sanitatis subest spes. Sæpe præterea diathesis corporis aneurismatica adest: hinc haud ita raro evenit ut aortæ Aneurisma, simul cum alio alicujus extremæ partis Aneurismate, corpus infestat, ex quo fieri potest, hoc manu curato, ut cordis actio in magnum curatione intensa aortæ aneurisma rumpat, et hominem extinguat.

DE MEDENDI RATIONE.

Hic morbus aliquando, natura ipsa sanitatem moliente, sponte decedit. Hujusmodi autem exempla rara sunt, et plerumque necesse est ad artem confugere. Curationem in medicam et chirurgicam diducere licet; primo de sanitate a natura ipsa reddita, deque modo, quo ei auxilio venire possimus, sive curatione medica dicturus sum, dein ad curationem chirurgicam, causas quæ eam frustrentur, et modum quo æger postea habendus sit, transiturus sum. Actiones, quibus ipsa natura utitur ad sanitatem reddendam, tales sunt; primo, sphacelus ex inflammatione externa ob partium vicinarum distensionem orta, concitatur, quo totus tumor submoveri potest. Deinde fieri potest ut eo situ tumor sit, ut ipse premendo, partes arteriæ inferiores et superiores, quæ communicant cum sacculo, obturet. Tum sanguinis fibrina paulatim in sacculo, atque in arteria, quæ ad eum ducit, deponi potest, ut obcæcentur; et postremo sacculus absorberi potest, eo modo ut arte-

ria cylindrum solidum fiat, et sacculus in tumorem carnosum exiguum decrescat. Olim medicis persuasum est opus esse ut arteria obcæcetur, quoties sanitas sponte rediit; sed exempla, quæ HODGSON prodidit, rem aliter esse ostendunt.

De Curatione Medica.

HUJUS curatio medica malum sublevandi causa maxime est, quippe quæ eo consilio adhibetur ut sanguinis cursus vehementia compescatur, impetusque imminuatur, eo quoque modo id agimus, ut depositio coagularum adjuvetur. Regimen igitur antiphlogisticum ad plenum præcipiendum est. Digitalis assumenda est, et sanguis mittendus; si Aneurisma aortam in thorace aut in abdomine occupavit, ad nihil aliud confugere licet. Hujusmodi curatione VALSALVA plurimum utebatur; ille talem rationem inire solitus est. Quum jam satis magnam sanguinis copiam detraxisset, victu paulatim aliquid sustulit: hanc

curationem utilem esse credebat, quia, aliquorum sectione mortuorum, arteriam contractam et callosam reperit. Hanc medendi viam PELLETAN secutus est, et eandem in Aneurismatis axillaris exemplo maxime salutarem invenit: in hoc exemplo ægrotans ad summam infirmitatem redactus fuit, et hominem ad sanitatem perductum esse, medendi ratione credebat, nec Aneurisma omnino sponte decessisse *.

CALLISEN hanc curationem sequi monet tali modo: " Aneurisma verum internum, venæsectionibus repetitis, scrupulosissima quiete, cautissimo mentis corporisque regimine, ac opii prudenti usu, palliatur †," &c.

Nimia sanguinis detractio in aortæ Aneurismatis, periculosa admodum habetur; lente mitti debet, et parva copia aliquo tempore. Hic loci insigne liceat meminisse exemplum Aneurismatis spontè submoti, quod sub cura Doctoris WOODROFFE, Corkagiæ, erat, quodque ab eo in

---

* Vide Clinique Chirurg. ad p. 80. tom. i.

† CALLISEN, p. 624.

prælectionibus suis in illa urbe memoratum est: vir mediæ ætatis Aneurismate subclavia laborabat, quod in tantum crevit ut nullum videretur nisi in ferro auxilium; dum Dr. Woodroffe considerabat num manu curatio conveniret, tumor decrescere incepit, et usque imminuebatur dum sanitas rediit.

De Curatione Chirurgica.

Curandi modi, quos Chirurgus peragit, duo sunt; per ligaturam scilicet et compressionem: Quorum uterque eodem consilio adhibetur, quo nempe vas quod ad sacculum ducit, obturetur. Hoc efficiendum est id genus inflammationis movendo, quod vasis parietes adhærescere faciat: hanc ad rem compressio adhibita est, sed compressio, qualis necessaria est ut parietes inter se contingant, tolerari nequit; plurima ad id reperta sunt instrumenta, sed cuncta idem incommodum secum afferunt. Ex iis, quæ mihi contigit videre, id quod minus hoc modo nocuit ab *optimo* chirurgo Todd repertum fuit, et ab eo in exem-

plo Aneurismatis poplitis ad Nosocomium Richmondense Eblanæ admovebatur. Hoc instrumentum leviter premit, nisi in parte affecta quam assidue urget; sed ne hanc quidem pressuram æger pati potuit *. Tota spes in ligutara ponenda est. Idem chirurgus TODD rationem prius adhibendam præcipit, quam ad ferrum confugimus, cujus omissioni male prosperum curationis successum in plurimis exemplis attribuit: hac de re ille ita scripsit: "I can scarcely doubt but that many of the cases of Aneurism, in which operations have failed, from mortification of the limb succeeding, may have been saved by a delay sufficient to allow some progress to be made in establishing the collateral circulation. I feel confident that this desirable object may be promoted in most instances of recent disease, situated at a sufficient distance from the trunk, by compressing the principal artery of the limb for a few hours every day, for a period which must vary according to the circumstances of the case †."

---

* Vide hujus instrumenti descriptionem, in opere cui titulus est, "*Dublin Hospital Reports.*"

† Vide "*Dublin Hospital Reports.*"

Secundus morbi eventus, in quo hoc consilium peractum fuit, abunde declarat, quantum proficiat, ubi ligatura sanæ arteriæ arcte circumdatur, tunica interna et media scinduntur, et lympha coagulabilis in vas effunditur, ex quo parietes ejus adhærescunt; sed, ut id certius efficiatur, ea, quæ sequuntur, spectemus necesse est: primo, quoniam inflammatio, quæ partes adhærescere facit, æquali simplicique plaga, quam ea lacerata, commodius movetur, opus est ut ligatura ex omni parte rotunda sit, quo vasis tunicæ æqualiter secentur; deinde vas arcte deligandum est, nulla ex partibus vicinis inclusa, quod si fit, hæ ulcerare crustasque exuere proclives sunt; et, si ulceratio ad vasis tunicas serpit, sanguinis profluvium, quod secundarium dicunt, oriatur. Non opus esse in omni exemplo, ad inflammationem quæ adhæsionem efficit movendam, ut interna et tunica media diducantur, satis patet ex experimentis a celebri Crampton * institutis. Adhibenda cura est, ut plaga justa magnitudine sit, utque quam citis-

* Vide Medico-Chirurg. Trans. in tom. vii. p. 344, 345.

sime sanescat, atque ut arteria nil magis quam opus est a partibus, cum quibus committitur, deducatur, eo consilio, ut plaga, prima, quod dicunt, intentione sanescat. Clarus LAWRENCE monet uti pro ligaturis filo serico tenui, quale, qui dentes curant, iis adhibetur, quod juxta nodum scindere licet: in quibusdam exemplis ubi id factum est, res prospere cesserunt. Illustrissimus ABERNETHY, binas ligaturas imponere, vasque inter eas persecare monet *; quia hoc modo arteria manet, ea prope conditione, qua arteriæ post membrum ferro sublatum; ex quo fieret ut sanguinis profluvium secundarium non sæpius post aneurisma poplitis manu curatum, quam post membrum amputatum, incideret. Verumtamen clarissimus HODGSON contendit, arteriam binis locis ligatam, parte interposita secata, non eadem prorsus conditione esse, qua arteria post membrum abscissum; in hoc enim exemplo partes vicinas simul cum vase retractas esse, et eorum positus inter se non alios esse, atque ante ferrum admotum: contra

* Vide Medico-Chirurg. Trans. ad p. 163. tom. vi.

in Aneurismate arteriam retractam esse, nec partes quæ circumstant eodem modo respondere. Hac super re celebris TODD ea scripsit, " However plausible in theory the advantages ascribed, I am not disposed to attach much importance to it. The adoption of it may be a useful precaution when the surgeon finds that he has detached more of the artery from its connections than necessary, but otherwise the second ligature may be an unnecessary source of irritation," p. 35.

Huic tentamini finem impositurus, pauca prius dicam de ligatura imponenda, dein de curatione ægri post ferrum admotum. Arteria igitur sola, quantum fieri potest, liganda est, et quam minime a partibus, quibuscum committitur, sejungenda est; et quum ligaturæ alienorum in corpore effectum edant, unum ejus caput ad nodum scindendum atque submovendum est; ligatura autem tota ex serico effici debet.

Curatio post ligatam arteriam in omnibus poni oportet, quæ inflammationem arcent, irritabilitatem imminuunt, et cordis arteriarumque actionem minus vehementem, reddunt. Ad primum

consilium absolvendum, sive ad inflammationem arcendam, missione sanguinis et regimine antiphlogistico opus est, et alvus leniter per salina ducenda est: ad alterum consilium implendum, quies imperanda, et opium subinde præcipiendum; omne quod corpus excitat evitandum: si nausea urget, haustus salinus effervescens proderit; ut actio cordis et arteriarum imminuatur ad digitalem confugere fas est. Quæ plagæ extrinsecus imponuntur, levia debent esse, et oræ ejus committendæ sunt. Hæc sunt præcipua remedia quibus opus est; ipsa enim natura, nullo alio auxilio, plerumque id agit ut tumor absorptione tollatur.

FINIS.